
TRACT 2



ORATIO ANNIVERSARIA
HARVÆANA,

HABITA IN

Theatro Collegii Regalis

MEDICORUM LOND.

Die xviii OCTOBRIS, A. D. 1722.



LONDINI.



DIGNISSIMO PRÆSIDI,

SOCIISQUE SPECTATISSIMIS

Collegii Medicorum Londinenſ.

ORATIUNCULAM hanc ſuam humilime offert

HENRICUS PLUMPTRE,

Quorum, ut Juſſu prodit,
& Patrocinium ſperat.





UAM alte ſibi inſitum habeat vivendi deſiderium Genus humanum; quam minime, Animi noſtri, his Anguſtiis, quas Natura nobis dedit, contenti ſint; quantoque ſemper Immortalitatis Amore flagrent; nemo eſt qui non recte intelligat: præ aliis verum omnibus, quam maxime, Nobis, PRÆSES DIGNISSIME, COLLEGÆ OPTIMI, ſeſe oſtentat hæc fervida Vitæ appetentia; Nobis inquam, quibus indies audire penſi eſt, acerbas Langueſcentium querelas, etiam Sympathia quadam laudabili, ipſos Pereuntium dolores ſentire: inter vero Suſpiria, Gemitus, Cruciatus, miſeros Lucem captantes videre. Fruſtra heu! contractos Mortalitatis limites extendere laborantes; deficiente tandem ſpe, & inevitabili urgente Urna, ſuperſtitem etiam Cineribus ſtatum, in animos blande inducunt: ſic exuta Corporis

Mole

Mole, Umbram amplectuntur. Scilicet mori absolute nolumus, sed universali fere consensu æternitatem affectamus.

De futuris, quid non differuerunt Philosophi? invenerunt Poetæ? at perpetua dubitatione implicati, donec ex certioribus Oraculis vitam immutabilem tenueramus, neque etiam hac sacra Veritate satis firmati, vel importuna Anxietate liberati; ut ut enim sursum ad Immortales evehi exoptemus, usque ad Mortales descendit Imaginatio; adimat licet nobis Lethe curas præteritorum, perhorrescimus futuram Nominis Oblivionem. Et quamvis Appetitionem hanc, Oculo philosophico, tanquam Mentis Imbecillitatem plerumque intueamur, civili saltem Ratione, Fortitudinem agnoscamus; quippe cum ex ea exsurgat fœcundissima erga Privatos, & Communitates, Civium beneficorum Seges. Curent Alii superba Mausolea sibi erigenda, Marmora, Simulacra, labantia & inepta Monumenta, quibus Posteritati sese consecrent: qui splendidiore Ingenio emicant, solidiorem sequuntur Famam, & ex Salute & Tutela Hominum sui Memoriam

Memoriam ad remotiſſimos nepotes perpetuare ſtudent. Honeſta equidem Ambitio! honeſtum Præmium! quo tantum expectatione hic frui licet, poſt Fata ne quidem delibare. Nos ergo, ſi & Ipſis, ſi Honori conſulamus, ſi apud poſteros æſtimationem noſtri viciſſim ſperemus, eo potius quia illi munerum præteritorum haud reminiſcantur, ne prætereamus nos immemorata, illaudata, qui præſentibus utimur, ſi futura expectemus. Et quidem virtutibus inſignium virorum delectari; res geſtas frequenter recitare, Exempla æmulari, omnes Gentes generoſæ Indolis indicia eſſe confitentur. Et ſi quid jucundum percipimus, dum Anteceſſorum Annales ſcrutamur, id certe fit, non tantum quia nos quaſi reviviſcentes percipiamus, & cum optimis viris ſuave commercium renovare videamur; ſed quod confidamus ipſi, & nos olim eſſe Succeſſoribus noſtris ſimilem delectationem præbituros.

Et quid prius dicamus meritis Parentum Laudibus, eorum nempe quibus naſcentem debemus Rempublicam noſtram? præprimis autem a Regiis Munificentiis exordiri, non

tantum

tantum decorum, ſed æquum eſt, utpote ex fonte unde ſemper effluxere uberrimi in Campos noſtros Rivi.

Recordemur ergo grande HENRICI octavi nomen, memoremus Principem ad Imperium Natura ipſa deſignatum, etiamſi a Fortuna non tenuerit; ſive Animi Dotes ad rem Civilem accommodatas reſpiciamus, ſive in Bello magnanimitatem: Nec imminutam temere exiſtimemus ejus Gloriam, ſi inter infinita prope ab eo præclare tranſacta, ſubinde Labeculæ quædam intercurrant; ſi enim vehementius quid, interdum ex Ingenio ejus erupiſſe fateri neceſſe ſit, confiteamur quoque, non mitiore Animo opus fuiſſe, non Conſtantia minore, quibus ſuffulciretur contra impetus, non tam Hoſtium peregre Bella moventium, quam eorum, qui & Ipſi & univerſo Humano generi inſidiati fuerint: qui dudum in ſpiſſiſſimis Tenebris, Populum cohibuerint, ipſi glorioſe Doctrinam jactitantes, etiam poſſidentes, ſed fœdis obvolutam Telis, ſed Tineis eroſam, ſed ſqualore conſpurcatam; Fœlices! ſi & eodem Velamine celare potuiſſent, Superbiam, Ignorantiam,

Impie-

Impietatem. Adverſus hoſce Terræ filios, Cœlum criminibus affectantes, inſtruenda erant Caſtra, in hos Fulgura dirigenda, quos auſpicate aggrediebatur, e Latebris ejiciebat, feliciter domabat, Princeps bonorum Virorum, & Literarum amantiſſimus. Quem iterum pacificum, benevolum, beneficum contemplemur, quem intueamur, LINACRUM noſtrum in ſinu quaſi foventem, LINACRUM Ipſi, ut & antea Patri, Archiatrum dilectiſſimum; Italiæ Doctis Hoſpitem optatiſſimum, magno Etruriæ Duci familiarem, Eraſmo Amicum, Præceptorem, Patronum; clariſſimum Oxonii Medicinæ Profeſſorem, demum Patriæ Decus eximium & immortale; ſive Ingenium excellens ſive in Arte ſua Peritiam, ſcribendi Elegantiam, ſeu univerſam Eruditionem ſuſpiciamus; qui, inſatiabili diſcendi Ardori, conjunctum habuit, & docendi haud minorem: ut aliis prorſus, non ſibi vixiſſe videretur, non magis Medici officio, quam omnium Diſciplinarum Magiſtri. Hiſce promeritis ad Regis Patrocinium fa-

cile ſibi viam aperuit Parentum alter LINACER, cujus Fiducia, tanta Moderatione, tanta Probitate uſus eſt, ut in privatam utilitatem ferme nihil exinde contulerit, in publicam multa; dumque meditabatur Collegii noſtri fundamenta, uno certe Conſilio, & Regio Honori, & Civium ſaluti proſpexit; una Petitione obtinuit, ut glorioſum Principi Trophæum, Populo fidum Propugnaculum, ſibi æternum Monumentum exſtrueret.

Sic HENRICI ſub auſpiciis, Duce LINACRO, ex Italia migravit Medicina, quæ prius e Græcia in Italiam; & conditam vidimus, Londini Scholam, Italicæ haud inferiorem, Coacæ æmulam; iiſdemque Honoribus auctos ipſos Medicos, quibus olim Romæ, Imperante Auguſto, & Cæſaris ad exemplum, ſenatus conſulto Civitate donatos. Et ut nihil Curæ deficeret in Populare auxilium, fundavit & Chirurgorum Gymnaſium Princeps munificus, cujus providæ Intentioni ita faverunt Superi, ut Faſtigium inchoato Operi impoſuiſſe ejuſdem Alumnos, non invito creda-

credamus; de quibus ne vereamur idem proferre, ſupra Gallos, quod olim de Romanis ſuis Orator, præ Græcis, ſcilicet, *Omnia noſtros aut inveniſſe per ſe ſapientius, quam* Gallos, *aut accepta ab illis, feciſſe meliora.*

Quid amplius, quid magnificentius de LINACRO audire eſt, parum certe dixiſſe, eum primum Præſidentis munus obiiſſe, & ad extremam Vitam Cathedram ornaſſe; quam enim Natura in Filios authoritatem habet Pater, eandem profecto Jure in Familiam hanc ſuam modo exſurgentem obtinuit; equidem officii erat, illum eligere, quem ſine turpi impietatis nota non rejecerint: nec muneris ſui viciſſim immemor fuit Parens amantiſſimus, qui ſupremo feſtinante die, ædium ſuarum Hæredes ſcripſit, quos toties ibidem honeſto hoſpitio exceperat.

Quis proxime celebretur, non ſuffragia veſtra expecto, ſed præoccupo, non Ordo temporis dictitat, ſed Cauſæ Dignitas: poſt Romulum, Numa exoritur, a Linacro con-

ditum Collegium, a Caio regulis, ſtatutis, firmatum eſt ; & utrique ſane pariter devincti ſumus, Linacro, quod inceptum, Caio quod perpetuum ſit : fruſtra naſcimur, proxime morituri ; qui vitam ſervat, dediſſe merito exiſtimatur. Quibus ergo præconiis efferemus Caium noſtrum ? quibus dignis honoribus proſequemur Virum Celeberrimum ? quem pubeſcentem vidit Cantabrigia Alumnum ſuum, quem Senem Rectorem ; quem adoleſcentem Bononia diſcipulum, quem Juvenem Profeſſorem ; quem Patria Medicum ſuis Edwardo, Mariæ, & Elizabethæ Principibus, quem ipſum vidit Medicinæ Principem Illuſtrem, ex nulla re verum Illuſtriorem vidit, quam ex hac Sagacitate prope divina, qua conſiliis, Inſtitutis, Legibus, Spartam hanc ſuam muniverit, alter ſane Lycurgus : quibus religioſe obſervatis, ne Priſca quidem tutior, ſola Civium virtute, quam hæc noſtra ab Inimicorum Invidia prædicabitur.

Poſtquam

Poſtquam Authoritati & Moribus Societatis rite proſpexerat Præſes in æternum colendus, nihil dignitati deeſſe voluit, nihil quod mutuum conciliaret inter Collegas Amorem. Varia excogitavit Ornamenta, ut poſtulare videbatur Comitiorum Decus: convivia inſtituit; Annalium libros ipſe primus incepit, & quantum fieri potuit, ab ipſo Collegii initio acta recuperavit; ut ex perpetua & fideliter narrata Hiſtoria, ad eadem Virtutis exempla incitarentur venturi Nepotes; & certe unius Caii ſufficiunt chronica, ſive generoſæ Indolis, ſive conſummatæ Doctrinæ ſpecimina poſtulentur; taceo quæ jam dicta; nunquam vero tacebit munificentiam Cantabrigia ſua, in ſæcula loquetur Collegium Caii Nomine Inſignitum.

Condito & ſtabilito Lyceo noſtro, quid proximum in votis habendum erat, quam ut ſic promoverentur ſtudia in publica commoda, ut candida æmulatione, certarent Collegæ, ut diſputarent quidem non improbe contenderent, tanquam nudam Veritatem

ſincere

ſincere exquirentes Philoſophi. Vota præ-venit benignitate ſua clariſſimus Caldwaldus Vir ſingulari eruditione inclytus, inclytum quoque Favoris & æſtimationis Collegarum Exemplum; quem unus idemque dies, Candidatum, Socium & Cenſorem ſalutavit digniſſimum. Ab Illo Prælectiones Chirurgicæ nobis decretæ fuerunt; nec id quidem incommodo conſilio, quippe cum nihil magis ad medendi Artem conferat, quam Naturæ contemplatio, & ejus Solertiæ in iſtiuſmodi Morbis ſanandis, quæ ſenſibus apprime objiciuntur; noluit Vir Doctiſſimus, ut a Scientia noſtra, earum rerum cognitio ſecerneretur, a quibus primam originem duxit Medicina.

Laudabile omnino Inſtitutum, dignum Caldwaldo, dignum Lautioris Fortunæ Viro; immo prænobilem Fautorem ſuſcitavit rei utilitas, cum non dedignatus ſit Honoratiſſimus Lumleius, Caldwaldum ſocium in tam optato negotio quod Junctis viribus aptiſſime perfecerunt.

Horum

Horum veſtigia preſſe ſecutus eſt eximius GULSTONUS, qui, ut ſolent Viri ingenui, & literis imbuti, nihil ſibi curæ potius aut utilius futurum judicavit, quam ut ea renovaret, e quibus ipſe ſummum emolumentum hauſerat, & quorum imperitiæ non ſine magna Artis Jactura, indulgendum erat; Anatomiam intelligo, & Morborum ſitus: acuit cultrum Juventuti, incendit exemplo induſtriam, & honeſtavit præmio; protinus fervet Opus, de Gloria certatum eſt, quantoque cum fructu teſtentur GLISSONUS, WHARTONUS LOWERUS, aliique quamplurimi hujus ſodalitii, non parvi Nominis, in rebus Anatomicis.

Sed feſtinat Oratio ad magnum HARVÆI Nomen, ceu ad amœniſſimum dicendi Fontem, ſitiens Authoris ſui Laudes aggredi, grato equidem Animo, ut ut Gratia verbis defuerit. Et ſane nullum ſplendidius emicuiſſe Ingenium fatebimur, nullum in ſcrutandis reconditis Naturæ Operibus fortius acumen, vel acrius in ſingulis inventis confirmandis Judicium:

Judicium: ſi quæ ex Laboribus ejus redundarunt commoda æſtimare velimus, prope infinita cenſenda veniunt. Dudum enim Larvata inceſſerat Ars APPOLLINEA, ſimplici & naturali veſtitu, a protervis nugatoribus ſpoliata; & Loco Philoſophiæ rationalis & demonſtrativæ, frequenter nimis occupaverant Medicinæ Palæſtras, Ciniflonum commenta, Aſtrologorum fabulæ, Divinationes ex Urinis, Plantarum ſignaturæ, Superſtitiones Aniles, & Innumera Iſtius Farinæ Inſipientium inſomnia, à ſana Medicina ita abhorrentia, ut revera ipſius Medicinæ ægrotantis, immo morientis Deliria viderentur. In hac denſiſſima caligine, facem nobis prætulit HARVÆUS, & eo deduxit unde omnis oritur Sapientia, ad ſui ipſius nempe cognitionem, dictioni veniam; at non minoris momenti eſſe, facile concedetis, Oeconomiam Corporis humani rite intellectam, in rebus Phyſicis, quam in iis quæ ad Mores ſpectant, Mutationum Animi, & paſſionum, diligentem obſervationem. Si ergo Divini appellationem meruerit Senex

Cous,

Cous, ſi Medicinæ Patris, ob ſedulam in obſervando quid Natura egerit diligentiam, accuratam in hiſtoriis Morborum concinnandis fidelitatem, & acutam in dignoſcendis ſagacitatem; quali Apotheoſi donemus Senem noſtrum? quem ad ipſa ſummi Opificis conſilia admiſſum crederemus; qui non tantum quid fecerit Natura, etiam quibus Inſtrumentis nobis aperuit; qui incredibili diligentia, a minutiſſimo puncto naſcentem Hominem eduxit, quem natum, aluit, auxit, ſuſtinuit; idque inaudita ſed perfecta Humanæ Fabricæ expoſitione; cui certe plurima exinde addita habuimus, nulla eidem non innixa fulcimini: ut id Gloriæ ei ceſſiſſe merito prædicemus, quod nemini, ſi retro verſemus chronica, contigiſſe inveniemus, & nemini unquam in futura ſæcula eventurum. Gloriam omne Marmor ſuperantem, omnem Sculpturam, vim omnem Eloquentiæ! ruunt Marmora, delentur Imagines, pereunt Linguæ; quouſqe verum ex Ovo orientur, animantia, quamdiu circuitum ſuum intra Cordis humani parietes

ſervabit Sanguis, eouſque vigebit HARVÆI, memoria, memoria, non ante ipſam Memoriam interitura.

Hactenus ſermone noſtro proſecuti ſumus Virum Illuſtrem, in iis quæ in communem omnium ſalutem emanarunt; ne gravemini, Auditores advenæ, ſi nunc ea, ut officii eſt, attingamus, quæ vobis certe leviora, nobis vero, ſi res ipſas perpendamus, nequeunt non videri permagna, nec vobis equidem exigua, ſi quo Animo ea effecerit venerandus Senex intelligatis. Numquid, leve exiſtimandum, Bibliothecæ donum? grave equidem Viro doctiſſimo erat quod abſurdum, Literatorum nempe ſine literis Domicilium; ipſe Librorum copia inſtruxit, & Curatori amplum Stipendium ſancivit. Adducamus hodiernum ſolenne Epulum Pietatis teſtem; quod in anteceſſorum Honorem quotannis celebrari voluit, & Oratione decorari, ſingulorum beneficia narrante; ut eodem tempore, & defunctorum in nos Amor, & mutuus viventium eluceſceret; probe animadvertens Vir pruden-

prudentissimus, non minus Societates, quam Privatos ali, & augescere frequente & idoneo convictu. Addi postulat & Cœnaculum extructum & decoratum: utque Exercitationes chirurgicas non solummodo facundia sua, & inventione elegantiores redderet, adjecit & Instrumentorum concinnum apparatum.

Senio tandem confectus, ne munificentiæ tempus deficeret, in pleno Collegarum conventu, simul ac semel, totius Patrimonii possessionem in Præsidentis manus tradidit, habita prius Oratione, Elegantia, Dignitate, Benevolentia exundante. Ita summum exstitit Philosophiæ decus HARVÆUS; nihil enim in Naturæ arcanis conditum pervestigavit, quod non assecutus est; nullam virtutem ex officio morali manantem non exercuit: Nemo unquam modestius usus est Fortunæ muneribus, aut magnificentius se exuit: Nemo tandem fortius maturum expectavit Fatum, Laborum minimum non male judicans supremam cum Morte Luctam.

Ad optatiſſimum denique rerum ſecundarum perveniſſe gradum videbamur, & læta Ovatione gaudere, cum mox de gaudiis triumphat Sors Iniqua, furit Civilis Ira, ardent ſæviores Flammæ; addictum eſt prædatoribus Collegium, ſub haſta poſitum; funditus Igne everſum: quicquid potuit, abſtulit utriuſque mali furor, Virtutem vero non potuit. Protinus erupit novum Liberalitatis, Munificentiæ, Prudentiæ flumen; redempta vidimus quæ nuper impie ſurrepta; renaſcitur e cineribus Phœnix, pulchriores e ruinis enitent Ædes, reſtaurantur omnia, adjiciuntur nova; Præſidendi onus ſolenni & honorifico remuneratum eſt præmio, Cœnaculum pulchre exornatum, aucta Oratori merces, honeſte inſuper Noſocomiorum Medicis proviſum eſt, idque Collegii honore minime neglecto. Hæc omnia, pluribus equidem digna, unius HAMÆI Opera, Conſilio, vel Sumptibus abſoluta ſunt. Qui nullum præter ipſius Vitæ terminum, beneficiis modum poſuit; quæ ut in perpetuum extenderentur, poſtremo

prædiorum

prædiorum non tenuium nos Hæredes fecit. Alia quamplurima tacere ſinatis, minoris certe notæ, etiamnum vero chariſſimum Nomen reſonantia. Inter cæteros merito ſibi locum vendicat Nobiliſſimus DURNOVARIÆ MARCHIO, a quo inſtructiſſimam qua fruimur, & Regio comparatam pretio Bibliothecam, obtinuimus; qui hanc Scholam noſtram, tanta obſervantia dignam exiſtimavit; ut nihil ſibi unquam gratius eveniſſe ſæpius faſſus ſit, quam decretum, quo in numerum ſociorum adſcriptus erat; & quod in Collegii decus factum putabamus, id in ſuum ſemper contendebat, Vir non magis ſanguine quam doctrina Illuſtris.

En COLLEGÆ ORNATISSIMI, quam accumulate hodiernæ noſtræ gratulationi ſeſe offerunt inſignium Virorum exempla, exempla quidem! genuino ſuo Splendore ſatis effulgentia, eo autem magis nobis ſpectanda, quod merito fructus cenſeantur, ingenue in almis Academiis noſtris excultæ diſciplinæ;

ex

ex illarum enim gremio profecti omnes memorati Proceres, digni inclaruerunt Matrum dignissimarum Filii, & Ipsi vicissim Familiæ nostræ Parentes dignissimi. Horum vestigia sequenda, quid monerem? cum & ipsi vos, aliis premenda eximia jam dederitis, nova indies daturi: & certe excelsæ Indolis est, Propinquis, Amicis, Reipublicæ ea retribuere, quæ ab illis accepimus; non enim solum nobis divites esse æquum est; multo magis humanam Naturam decet Comitas, Justitia, Liberalitas, quam Voluptas, quam Divitiæ, quam Vita ipsa, quæ omnia profecto contemnere, utilitati vero communi consulere, magni Animi & divini est. Nulla res tanti, aut commodum ullum adeo expetendum, ut Civium bonorum Famam amittamus: Exulent! procul exulent! quos turpis Avaritiæ Rabies solicitat; qui egeno cumulandi ardore senescunt, tabescunt: illis equidem vel nobis nihil melius accidere potest, quam ut sordida & Cadavera, & Nomina uno cespite obruantur.

Perge

Perge PRÆSES SPECTATISSIME, pergite COLLEGÆ magnifici, in ea, quam pulchre incepiſtis, via ; ſacrabit ſaltem Libitina merita, quæ vivis invidet, ſibi moleſtus Livor.

Sed HARVÆUM audio, Oratorem ſuum admonentem, ut ad Concordiam, Amicitiam, arctiorem Conjunctionem Collegas excitet: at quibus potioribus utar argumentis, quam quod optaverit, ſuaſerit, juſſerit optimus HARVÆUS. Probe novit divinus Senex, nihil ad literas promovendas magis conferre, quam ſtudiorum idem conſilium, nihil ad ſtudia quam Amicitiam, & certe nihil eſt quod ad ſe rem ullam tam alliciat, quam ad Amicitiam morum ſimilitudo: eadem eſt Laborum intentio, idem Virtutis præmium, ſit nulla alia quam de Veritate contentio ; ſi alienæ, ſi propriæ quieti, conſulere velimus ; ſi propriæ, quæ & Artis, dignitati ; vitemus improbum omne odium, omnem vanam ſuſpicionem : ſed de honeſta Gloria, de Amore in Rempublicam, de ægrotantium

tantium consolatione certemus; sit hæc vivendi Norma, quia beate vivendi Ratio: Quod ad Mortem spectat, iis tantum videatur timendum, quorum cum Vita omnia extinguuntur; non quibus Laus emori non potest; quam etenim vobis immortalitatem negant Pharmaca, Fama dabit.

F I N I S.

